

Q. N. 435, 10.

X 187 9291

II R  
2826

DISPUTATIO JURIDICA  
DE

# MONETIS ET RE NUMARIA,

QUAM

INDULTU ET AUTO-  
RITATE

NOBILISSIMÆ FACULTA-  
TIS JURIDICÆ LIPSIENSIS,

SUB PRÆSIDIO

VIRI

AMPLIS. CONSULTIS. ET EXCELLENTIS.

DN. JOHANNIS BORNII,  
J. U. DOCTORIS ET PROFES-  
SORIS PUBLICI,


PLACIDÆ DISQUISITIONI SUB-  
FICIT

IN AUDITORIO PETRINO

d. s. Maj.



GEORG. SCHRÖDER,  
Gedano - Prussus  
AUTOR.



LIPSIÆ

LITERIS CHRISTIANI MICHAELIS,  
ANNO M DC LIX.

*Le. O. v. r. s. t. e.*



W

DEPARTMENTO BRITANICA

MONNETIS ET

RE NUMARIA,

INDUIT ET AHTO

RTATE

NOBILISSIMAE FACULTATIS

IN REGIO DE BRITANNIA

IN REGIO DE BRITANNIA

VIRI

ARTIS COMITIS ET EXCELSISSIMI

DR. JOHANNIS BORNI

PHILOSOPHIAE ET PRAXIS

PHILOSOPHIAE

PHILOSOPHIAE

IN ACADEMIA PETRINA

GEORG. SCHROEDER

Georg. Schrodter

1751

1751

LIBRARIUS

ANNO MDCCLX



bar  
per  
inv  
dig  
ger  
rat  
ma  
di

nee  
inq  
dic  
jux  
tio  
23.  
ut  
qv  
Ste  
fen  
fig  
jed  
Ep





PROPOSITIO NUMINE!

§. 1.



**M**aximas utilitates ex monetâ ad-  
inventâ, percepisse humanam societatem ex-  
tra dubitationis aleam positum. Quippe numi  
usus emendi vendendiq; immò contrahendi ra-  
tionem omnem hominibus primùm aperuit.  
Cum enim antea res sine æstimatione rudi &  
barbaro seculo possiderentur, non aliter rerum dominia, quàm  
permutatione transferre licuit: at postquam æstimatio per numos  
invaluit, multiplicia contractûs genera ad privatam hominum in-  
digentiam supplendam, & publicam publicæ rei felicitatem adau-  
gendam celebrari cœperunt. Quod cum in aprico positum sit,  
ratio instituti nostri latere non potest, cur scilicet constituerimus  
materiam de monetis & re numariâ in iudicium adducere scriben-  
di tyrocinio.

§. 2. Cum verò moneta, numus & pecunia in jure Justinia-  
neo eandem rem signent; Etymologiam horum vocabulorum ut  
inquiramus usitato more necesse est. Moneta igitur à monendo  
dicitur, quia monet, ne quid fraudis ære, signo, pondereve fiat  
juxta *Corosium lib. 3. Misc. cap. 13. n. 3.* & quanquam aliam deriva-  
tionis rationem tradat *Iberius Decianus lib. 7. Tract. Crim. cap.*  
*23. n. 7.* à Junone, quam veteres Romani monetam appellitarunt,  
ut testatur *Cicero lib. 1. de Divin.* Tamen veriora nobis videntur,  
quæ habet *Henr. Bocerus in Tract. de Regal. c. 2. n. 224.* & *Matthias*  
*Stephani Tract. de Jurisd. lib. 2. cap. 1. memb. 2. n. 169.* qui *Corasii*  
sententiam approbant, & id præterea addunt, quod Principis ef-  
figies & vultus monetæ impressus moneat subditos eidem se sub-  
jectos, cujus imaginem in monetâ circumferunt. *Cassiod. 7. var.*  
*Epist. 32.*

A 2

§. 3. Ety-

231  
§. 3. Etymologiam Numi tradit Aristoteles *lib. 5. Eth. ad Nicom. cap. 5.* nempe ἀπὸ νόμου i. e. à lege ita enim loquitur Philosophus l. d. introductus numus est ex instituto quasi inopiæ & indigentia præsidio futurus. Ob eamque causam nomen duxit, quod non à naturâ, sed à νόμῳ i. e. lege numus fit ortus. Vid. Bodin. *de Rep. lib. 1. n. 167.* Fran. Hottom. *de re num. cap. de var. numis. appell. in princ. p. 32.* & Matth. Stephani *d. cap. 1. memb. 2. n. 171.* Nec obstat, quòd in Pandectis Florentinis & alibi passim numi nomen geminato M M. scriptum inveniatur, ut in *l. 3. de in lit. jur. l. 1. §. 1. de contrab. empt. l. 94. §. 1. & l. 99. de solut. l. 8. ad L. Corn. de fals. l. 159. de verb. sign.* Nam alia adhuc derivatio à græco νόμῳ peti potest ex eodem Aristotele, ut annotat Henr. Bocerius *in tract. de jur. mon. cap. 1. num. 11.* Νόμῳ verò idem significat quod numisma, quam vocem usurpatam invenimus in *rubr. C. de vet. numis. potest.* Non desunt quidem aliæ derivationes, sed hæc fidem non merentur, ut quando nummum à Numâ Pompilio Rege Romanorum derivant, prout refert Joh. Gædd. *in l. 159. n. 3. de verb. sign.* Quamquam enim ille æreum nummum primus Romæ percussit, tamen cæteræ gentes multis sæculis ante urbem conditam numis usæ fuerunt. *Carol. Molineus tr. de comm. & usur. q. 100. n. 195.*

§. 4. Pecuniæ Etymon deducit Plinius à pecore seu pecudum notâ, quâ primum æs signatum fuit, ut idem vult *lib. 18. c. 3. & lib. 33. c. 3.* Et sic Theseum plus mille ducentis ante Christum natum annis, signo bovis monetam fabricasse ostendit Cælius Rhodiginus *antiq. lib. 5. cap. 47. & lib. 11. cap. 4. Alex. ab Alexand. genial. dier. 4. c. 5. Pol. Vergilius lib. 2. cap. 20.* Et Plutarchus in vitâ Publicolæ scribit, antiquissimis urbis temporibus pecuniam ovis, bovis vel suis imagine insignitam fuisse. Aliam tamen ejusdem derivationis rationem tradit Hottom. *de re num. p. 39. & 43. Gædd. in l. 4. n. 4. 11. 15. & 16. de verb. sign.* quæ nimis longè petita videtur. Pecuniæ verò significationem triplicem agnoscunt in jure nostro Interpretes, latam, strictam & strictissimam. (1.) Lata est, quæ res omnes continet tam mobiles quàm immobiles, tam corporales quàm incorporales *l. 4. l. 178. & l. 222. de verb. sign. l. 2. §. 1. C. de constit. pecun.* (2.) Stricta significatio pecuniæ est, quæ comprehendit res pondere, numero & mensurâ constantes, prout

id

id ostendit Coedd. *ad l. 4. n. 24. de V. S.* & hoc significatū ponitur in *l. 2. §. item mutuum ff. si cert. pet. (3.)* strictissima est, quæ nummos tantum sive pecuniam numeratam complectitur, & sic usurpatur in *pr. inst. quib. mod. re contrah. l. 95. ff. de leg. 3. l. 30. de leg. 1. l. 15. l. 27. §. 1. ff. de aur. & arg. leg.* Sed de pecuniâ numeratâ controversum, si ad emptionem fortè prædiorum per testatorem sit destinata, an inter immobilia referri possit? Quod affirmat Treutl. *vol. 2. Disp. 13. th. 4. lit. G. Modestin. Pistoris part. 3. q. 124.* & Pinellus à Treutl. citatus in *rubr. C. de bon. matern. part. 1. n. 51.* Dissentit Gail. *lib. 2. observ. 11.* quem sequitur Budelius *lib. 1. de re num. cap. 1. num. 49.*

§. 5. Penitius jam ut introspeciamus quid sit moneta, methodi ratio exigit. Sed cum definitionem monetæ vix opus sit inquirere, rudem tantummodo ponimus descriptionem talem: Moneta est æs publicâ autoritate signatum, quo res omnes inter se inæquales æqualiter dimetiuntur. Cujus descriptionis fundamentum in eo positum, quod sub æris appellatione omnis moneta tam aurea quàm argentea in jure nostro comprehendatur, & per consequens æs tanquam genus monetæ consideretur, quod intelligere possumus ex *l. 159. de verb. sign.* & ex antiquâ illâ formulâ, quâ prodigis bonis interdicebatur *h. m. ære commercioque interdico*, ut refert Jul. Paulus *lib. 3. sent. tit. 4.* nec non ex mancipatione, quæ per æs & libram fieri dicebatur, quamvis non ærea, sed vel aurea vel argentea moneta interveniret, Cujac. *lib. 7. obs. cap. 33.*

§. 6. Causa Efficiens monetæ est vel remota vel proxima. Remota est partim jus Gentium, partim jus Civile. Etenim jure Gentium primitus moneta usu exigente & humanis necessitatibus postulantibus adinventata, & hinc nummi originem unicè ad jus gentium referunt ac restringunt Pinellus *ad rubr. C. de rescind. vendit. p. 1. c. 1. n. 25.* Connan. *lib. 1. Comm. jur. civ. cap. 5. n. 8.* Gabriel Mudæus *in comm. ad tit. ff. de contrah. empt. Molinæus tr. de comm. & usur. q. 100. n. 695. & 795.* & Bachov. *ad Treutl. vol. 1. Disp. 28. th. 1. lit. D.* Jure Civili verò monetæ usus approbatus, & idcirco rectè ad jus civile quoque refertur à Jacobo Cujacio *in comm. ad lib. 33. Pauli ad Edictum p. 146. in explicatione l. 1. ff. de contrah. empt. quod latè deducit Henr. Bocerus de jure monet. c. 1. n. 18. & 19. nec non c. 3. n. 8.*

d Ni-  
phus  
entia  
quod  
n. de  
ppell:  
ob-  
n ge-  
1. de  
l. 159.  
otest  
jur.  
fma,  
otest:  
ren-  
rum  
van-  
ta-  
is u-  
ecu-  
3. &  
na-  
ho-  
and.  
vi-  
n o-  
us-  
43.  
tita  
t in  
ata  
am  
n. l.  
væ  
out  
id

233  
§. 7. Causa proxima monetæ est suprema in Republ. Majestas, cujus indultu & autoritate moneta cudi debet. Idipsum probant textus in *l. 2. C. de fals. mon. l. 1. C. de vet. num. potest. & l. 1. in pr. ff. de contrab. empr.* Et hinc potestatem monetæ Regalibus Imperatoris expressè annumerat Fridericus Imp. in *tit. quæ sint Reg. 56. L. 2. F.* Vid. Rosenthal. *de feud. cap. 5. concl. 48.* Arum. *ad A. B. disc. 5. injur. publ. Diss. 15. in L. Reg. Germ. cap. 8. sect. 7. n. 7. Limn. 3. J. P. cap. 2. n. 62.* Eodemque jure omnes Reges ac Principes superiorem non recognoscetes potestatem monetæ sibi usurpant. *Sixtin. de Regal. lib. 2. cap. 7. n. 15. Nobiliss. Carpzov. de Regal. th. 42. Arniseus lib. 2. de jur. Majest. cap. 7. Besoldus de jur. Majest. sect. 7. cap. 8. n. 5.* Controversum tamen est de Pontifice, num is eodem jure potestatem monetæ habeat? Affirmativam tenent Peregrin. *lib. 1. de jur. & privil. fisci cap. 2. n. 2. Menoch. conf. 298. n. 18.* & alii, quos citat, & contra quos disputat Henr. Bocerus *de jur. mov. c. 3. n. 4. & de Regal. cap. 1. n. 9.* Sed nihilominus sententiam affirmantem eligimus cum Ant. Hanffman. *Resol. 8. lit. I. & Regn. Sixtin. de Regal. lib. 1. cap. 4. n. 116.* Similis quæstio est: Num Principes Imperii jure Principatuum jus monetæ habeant? Scripsere in partem affirmantem Ant. Peregrin: *lib. 1. de jure Fisci c. 2. n. 17. Baptista à Villalobos in comm. opinionib. lit. D. n. 192. Andr. Gail. lib. 2. pract. obs. 57. n. 7. & lib. 1. de pace public. c. 6. n. 15. Roland. à Valle conf. 91. n. 17. & conf. 86. n. 20.* In negantem verò Jacobin. *de S. Georg. tract. de feud. Joan. Borcholt. in comm. in usus Feud. cap. 5. n. 37. in fin. Henr. à Rosenthal. tract. feud. cap. 5. concl. 13. n. 4.* Affirmantium placet sententia, cum Principes Electores jus monetandi olim sine concessionem, & sic jure Principatuum exercuisse constet ex Ant. Hanffman, qui *Resol. 10. lit. D.* refert; Veteres Saxones etiam ante auream Bullam Caroli, cum signo Leonis argenteas monetas olim fabricasse, & de Rege Bohemiæ idem affirmat Buxtorff. *in diss. ad A. B. th. 92. lit. D.* quod dubitatione caret; nam ad exemplum Bohemorum Inclytum Poloniæ Regem Casimirum Primum, teste Cromero *lib. 1. Pol. p. 89.* in suo Regno æs & argentum signasse constat.

§. 8. Cum verò Majestatis jura etiam aliis communicari possint, manifestum quod Princeps jus monetæ cudendæ ad alios  
quo-

quoq  
tradu  
mem  
re pa  
Nec  
Joha  
plurib  
ni ho  
riis co  
L. Syl  
se test  
pi Ju  
chus  
veter  
les, q  
lib. 3.  
& ad  
bitra  
dend  
& Sal  
n. 30.  
vid. A  
part.  
Rudo  
perial  
Nicol  
lit. C.  
conce  
vato  
nalis  
absq  
xtus i  
ibi ve  
netæ  
verfiã

quoque transferre possit. Dupliciter autem id fieri communiter tradunt Dd. vel tacite, vel expresse: tacite quando Princeps immemoriali temporis prescriptione hoc Regale ad alios pervenire patitur: expresse quando nominatim hoc jus alicui concedit. Nec obstat, Bodinum in Philippo pulchro, Carolo eius filio & Johanne Galliarum Regibus reprehendere, quod jus monetandi pluribus concesserint, nam inde non concludendum, ergo nemini hoc jus concedi debet. Videmus enim in antiquis etiam historiis contrarium; siquidem tempore belli mithridatici Dictatorem L. Syllam jus nummi in Peloponneso signandi Lucullo concessisse testatur Plutarchus in *Lucull.* item Simoni Sacerdoti ac Principi Judæorum monetam propriam percutiendam permisit Antiochus filius Demetrii 1. *Maccab. 15.* Item non nisi ex concessione in veteri Romanâ Rep. jus monetæ habuerunt Triumviri monetales, qui rogatione Mutii Tribuni Plebis primum creati teste Livio *lib. 3. dec. 3.* Idque ex utilitate Reipublicæ omnino factum fuisse, & adhuc in Imperio Romano & aliis Regnis ac provinciis fieri arbitramur. Sed maximè controvertitur: Num Privato etiam jus cudendæ monetæ rectè concedatur? Quod negat autoritate Baldi & Saliceti *ad l. ult. C. de fals. mon.* Henr. Bocerus *de jur. mon. cap. 3. n. 30.* Ratio ejus præcipua, quod privatus Regalium non sit capax *vid. Nic. Boerium decis. 51. n. 12. Tap. ad l. ult. ff. de constit. Princip. part. 1. c. 2. n. 39.* quorum sententia convenit capitulationi Imper. Rudolphi II. §. nemini etiam, quæ existat apud Goldast. *in Pol. Imperial. p. 12. de Leg. Reg. Imp. germ. fol. 608.* At contrarium, statuit Nicol. Reufner. *cons. 7. n. 36.* & Ant. Hanfmann. *de re mon. resalut. 11. lit. C.* & rectè, cum Imperator privilegia cuilibet pro beneplacito concedere possit. Accedit quod de privilegiis monetabilibus privato concessis vel non concessis loquitur ipsa constitutio criminalis Carolina art. CXI. ubi Imp. animadverti vult in illum, qui absque privilegio jus monetæ exercuit. Videri etiam potest textus in Recessu Imperii August. *de Anno 1559. §. Wo aber jemandes zibi wes Standes oder Wesens die waren.*

§. 9. Difficilis quoque agitatur quaestio: Num is, qui jus monetæ exercet, possit quoque mutare monetam? In quâ controversiâ inter monetam probam & improbam distinguunt Dd. im-

pro-

faje-  
pro-  
ff.  
ato-  
2.F.  
jur.  
p. 2.  
non  
Re-  
saus  
n. 5.  
ore-  
1. de  
s ci-  
4. &  
eli-  
egal.  
jure  
nan-  
bos  
n. 7.  
&  
7. de  
ent.  
acet  
con-  
unff-  
ure-  
n fa-  
ad  
lum  
te-  
âlle  
os-  
lios  
vo-



235  
probam enim semper reprobari posse arbitrantur per textum in  
*l. 102. pr. ff. de solut. & l. ult. C. de vet. num. potest.* termino tamen re-  
probationis publicè præfixo juxta dispositionem Recessus Imp.  
August. de Anno 1559. §. und nachdem die Frembden/ intra quem qui-  
libet occasionem quærere possit erogandi hujusmodi monetam  
prohibitam. Quod ipsum justissimum est, nam cum non solum  
materiam monetæ, sed & valorem acquirat, qui monetam acqui-  
rit, manifestum est, quod valor monetæ publicæ legis autoritate  
impositus in detrimentum eorum, qui publicam fidem secuti sunt,  
stricto jure adimi non possit, nisi sub tali prædicto remedio. Quod  
enim quis rectè & legitime acquisitum habet & possidet, id ei in-  
vito sine ipsius facto adimi jure non potest *l. 2. ff. de his, qui sui vel a-*  
*lien. jur. sunt §. 2. Inst. eod. l. solvendo 39. ff. de neg. gest. §. juris Inst.*  
*de just. & jur. l. id quod nostrum 11. ff. de Reg. jur.* At probam mone-  
tam, cum ejus perpetua sit æstimationem, mutare nullo modo licet ni-  
si metalli bonitas superet æstimationem monetæ, vel belli neces-  
sitas justam mutationis causam præbeat. Atque ita Romæ olim  
bello punico primo nummi immutabatur valor, atque ex asse li-  
brali sextantarius percutiebatur, bello punico secundo unciales  
fiebant asses, demum lege Papiria semiunciales teste Plinio *lib. 33.*  
*c. 3.* Vid. & just. Lipsium *tract. de Rom. num.* novissima exempla in  
historiis passim sunt obvia, quæ recensere non lubet.

§. 10. Non præteriundi hîc sunt, quorum opera in fabrican-  
dâ monetâ maximè conspicitur, qui ad hoc ordinati sunt, partim  
ut omnis generis monetas ex auro, argento, ære juxta legem pu-  
blicam componant, partim etiam ut numos formatos exactissi-  
mè ponderent ac probent tam privatim in officiis monetariis,  
quam publicè in dietis probationum (auf denen probation und val-  
vation Tâgen der sehen Krânse des H. R. Reichs secundum recessum  
Augustanum de Anno 1559 & Spirenses. de Anno 1570.) Isti verò  
homines in jure Justiniano vocantur Zygoſtatæ *l. 2. C. de pond. lib.*  
*10.* ponderatores & monetarii, quanquam de monetariorum con-  
ditione & statu Dd. communiter dubitent. Sed ambiguitatem  
vocabuli monetariorum primus animadvertit Alciatus, quem se-  
quitur Budelius *lib. 1. de re num. cap. 24. n. 7.* nempe propriè mo-  
netarios dici, qui Principum monetis cudendis præfecti sunt, im-

pro



propriè verò & abusivè, qvi infimæ conditionis operarii sunt, ut murileguli i. e. illi, qvi murices sive pisces legebant, & Gyneciarii, qvi pannorum textores ac tinctoros erant. De his enim vilioris conditionis hominibus textus esse intelligendos manifestum ut *l. 6. C. de dignit.* qvòd monetarii ad honores nullum habuerint aditum, *l. 1. C. de murileg.* qvòd in suâ conditione perdurare coacti fuerint, *ex l. 7. C. eod.* qvòd ingenuæ mulieri copulari non potuerint. At de monetariis propriè dictis accipimus textum in *l. 1. C. de excusat. lib. 10.* qvòd muneribus personalibus immunes sint, & aliis privilegiis ac exemptionibus gaudeant, ut testatur *Wesemb. conf. 45. n. 23. & Gvid. Pap. q. 803. & q. 402.*

§. II. Ad materiam monetæ per qvirendam jam accedimus, qvam triplicem agnoscit jus civile, videlicet aurum, argentum & æs, ut arguit *l. 2. §. 30. ibi Triumviri monetales æris, argenti, auri flatores ff. de orig. jur. item l. 8. & 9. in pr. ad L. Cornel. de fals.* Qværitur ergò, annon ex aliâ viliori materiâ monetam fabricare liceat? Et non licere existimandum, nisi tempore summæ necessitatis, & sub hâc limitatione, ut damnum per hoc communitati illatum, postea per bonam melioremqve monetam refarciatur, ut statuit *Andr. de Ifernina & Matth. de Afflict. ad §. moneta tit. quæ sint Regalia in Feud.* Ratio verò nostræ assertionis præcipua est, qvòd materia formæ semper debeat esse analoga: sicut enim per naturam impossibile esse arbitramur, ut corpus Leonis recipiat animam rationalem: ita quoqve impossibile existimamus, ut vilis materia recipiat æstimationem auri vel argenti. Ex quo fundamento in *l. 9. §. eadem lege ff. ad L. Corn. de fals.* expressè usus stanneorum & plumbeorum numorum prohibitus fuit. Nec obstat, qvòd *Renerus Budelius lib. 1. de re num. cap. 1. n. 20.* nummum orichalceum & plumbeum ex *Plauto & Martiali*, ferreum ex *Plutarcho in Lycurgivita*, & stanneum à *Dionysio Syracusano* fabricatum adferat. Nam exinde nullum jus desumi potest, cum similiter constet, apud Romanos ante *Numam Pompilium* ligneam ostracinamqve pecuniam, immò & electreos nummos in usu fuisse, qvos ex *Lampriodio* adducit *Hottomannus*, & ex succino percussos suspicatur. Sed electrum fuisse mixturam argenti ex *Plinio lib. 33. cap. 4.* satis liquet. Vid. *Joan. Aquila de mon. potest. c. 11. & Bocerus de jur. monet. cap. 2. n. 3. 4. 5.*

B

§. 12. Cùm

tum in  
nen re-  
s Imp.  
m qvi-  
netam  
solum  
acqui-  
ritate  
ti sunt,  
Quod  
ei in-  
i vel a-  
is Inst.  
mone-  
icet ni-  
neces-  
æ olim  
asse li-  
nciales  
lib. 33.  
npla in  
orican-  
partim  
em pu-  
actissi-  
etariis,  
nd val-  
cessum  
sti verò  
ond. lib.  
m con-  
itatem  
rem se-  
iè mo-  
nt, im-  
pro



237  
§. 12. Cùm autem ex ære puro monetam fabricatam primitus fuisse constet: Quæritur hinc, num ex ære puro nummos cudere nostris temporibus conveniat? Et omninò optimè convenire existimandum, quanquam dissentiat Bodinus *lib. 6. de Rep. cap. 3.* si modò justa æris & argenti habeatur æstimatio, quemadmodum apud Romanos olim factum, apud quos unus denarius argenteus pro decem asibus æreis semiuncialibus dabatur, quod eleganter ex Plinio deducit Did. Covarruvias *in vet. num. coll. c. 1.* Simili modo de argenteis & aureis monetis ex puro auro argentoque fabricandis anceps agitur quæstio. Et Bodini sententia est, cum quo sentit Bocerus *c. 2. n. 51. & 52.* melius & utilius esse ex puro auro & argento monetam percutere, quam metalla miscere. Sed Bodinus optimè refutatur à Budelio *lib. 1. cap. 21. n. 23.* qui nihil prorsus interesse ostendit, sive purum sive mixtum cudatur aurum argentumque. Confirmat Budelii sententiam, quòd Romani jam olim non ex puro, sed mixto argento denarios suos formarint, prout ex Plinio *lib. 3. c. 3.* constat, qui refert Livium Drusum argento miscuisse octavam æris partem i. e. duos Lotones æris quatuordecim Lotonibus argenti, quæ liga in Imperialibus & aliis nonnullis numismatibus juxta Recessus Imperii servatur. Et sic credibile quoque est, aureorum nummorum massam apud antiquos aliquid argenti vel æris admixtum habuisse juxta *l. idem Pomponius s. 1. ff. de Rei vindic.*

§. 13. Controvertitur quoque, an ad monetam fabricandam aurum argentumque chymicum adhiberi possit? Quam quæstionem ex autoritate interpretum Baldi *in c. 1. col. 5. X. de constitut.* & Jasonis *in l. 30. C. de fideicom.* negamus. Cùm rationem satis firmam illi suppeditent, quod sc. hoc aurum argentumque veri auri argenti que proprietates omnes habere nequeat, quia nulla res in aliam speciem verè transmutari potest, nisi ab ipso Creatore Deo, *can. nec mirum caus. 26. quæst. 5.* non verò à Chymicis, contra quos præterea disputant Mynsing. *cent. 4. obs. 31.* Petrus Binsfeld *in comm. in tit. C. de malef. & mathem. concl. 3. 4. 5.* Martinus Delrio *lib. 1. disquis. magic. c. 15. sect. 4. q. 4. n. 1.* Chymicos tamen defendere videntur Orladus *cons. 74.* Matth. de Afflict. *in tit. quæ sint Reg. in verbo Moneta n. 21.* & Tiber. Decianus, *tract. crim. lib. 7. cap. 23. n. 12.*

§. 14. Se-

§.14. Sequitur ut Formam monetæ determinemus, quæ vel essentialis vel accidentalis est. Essentialis forma consistit vel in pondere tantum, vel simul in pondere & ligâ in Schrot und Korn: accidentalis verò in valore impositio & signaturâ publicâ. Essentialem formam vel in pondere tantum, vel in ligâ & pondere consistere ideò diximus, quia in puris æreis nummis nulla liga, sed tantum pondus præscriptum: at in argenteis & aureis nummis non pondus tantum, sed liga etiam servatur. Quippe Liga nihil est aliud, quàm qualitas auri & argenti, quæ per proportionem mutuam additamenti & nuclei ex mixturâ producitur, & per puritatis gradus in numi corpore unitur. Communiter Ligam Præfecti officinarum monetariorum pedem dicere solent, quod ejus intuitu quasi ex præscripto monetas cudere debeant, & nec latum unguem ab eo discedere possint, nisi obtentu remedii vulgò sic dicti. Budelius *lib. 1. c. 18. n. 1.* Nucleus verò germanicè das Korn der Münz est argenti vel auri in corpore numi illa pars, quâ numus in summâ metalli puritate consistit, quemadmodum id ex artificum & monetariorum fundamentis ac hypothefibus optimè intelligere licet, qui pustulatum argentum & obryzum aurum sicut in jure vocatur *l. fin. C. de veter. num. potest. & l. unic. C. de oblat. votorum.* Vel arte vel naturâ dari posse præsupponunt, de quo tamen dubitant Budæus *lib. 3. de asse* Did. Covarruvias *vet. num. coll. cap. 3. §. 1.* Georg. Agricola *lib. 10. de re metall.* Joh. Bodinus *lib. 6. de Rep. c. 3.* Sed illud nihilominus indubitatum retinemus monetariorum fundamentum, quo præsupposito Zygotatæ certos puritatis sive pretiositatis gradus respectu scil. particularum, in quas marca quælibet argenti vel auri distribuitur, analogicè constituere solent, sicut id tradit Renerus Budelius *de re num. lib. 1. c. 8. & 10.* Et hætenus Ligam consideravimus. Ponderus monetæ nihil aliud est, quàm certa numarii metalli quantitas, quæ publicâ lege definitur, & cuique numo attribuitur *l. 1. Cod. de veter. num. potest.* Quæ verò sit vel fuerit ponderis ratio, accuratè exsequitur Budæus *libris de asse,* nisi quod Libram cum minâ atticâ confundat. Libram enim Romanam exactè 12. unciarum fuisse, atticam verò minam 12. unciarum & 4. drachmarum, jamdudum ab Agricola *lib. 4. & 5. de pond. & mens.* & Did. Covarr. de-

rimi-  
s cu-  
veni-  
cap.  
lmo-  
s ar-  
vod  
c. 1.  
gen-  
entia  
e ex  
isce-  
qui  
atur  
Ro-  
for-  
Dru-  
s æ-  
us &  
Et  
an-  
lem  
lam  
tio-  
itnt.  
fir-  
auri  
s in  
ore  
atrà  
d in  
lrio  
lere  
in  
12.  
Se-

239.  
monstratum. Nos veterem Romanam libram mittimus, cum nostri argentarii vetustissimo usu aliam ponderis rationem excogitarint, & ex besse Romanæ libræ i. e. ex octo unciis nostram libram effecerint, quam Marcam communi sermone vocamus. Sed marcā hanc nostram & ponderis diversitas variat, & ipsorum artificum diversa in particulas distributio. Ex ponderis diversitate alia dicitur marca Troisica (à Civitate Campaniæ Troes in Gallia) alia Coloniensis, alia Norica, alia Pragensis, quæ omnes non nomine tantum, sed & pondere distant inter se. At ex artificum diversâ in particulas distributione marca ejusdem ponderis *vel in 12. denarios, vel 16. lotones, vel 24. caractas, vel 160. anglos* dividitur, & inde dicitur das Pfennig Gewicht/ das Loth Gewicht/ das Karatt- oder Schrot Gewicht/ das Englisch Gewicht. Hic equidem in quæstionem deduci posset exæqvatio unciarum Romanarum & Troisicarum; sed manum de tabulâ, cum lis inter Budæum & Georg. Agricolam pendeat, & sufficere nobis possit ex Did. Covarr. Troisicam unciam 20. anglorum si non exactè, tamen quàm proximè ad Romanam unciam accedere, ut 16. Lotones 16. semiunciis æqvivalentur, & 4. drachmæ germ. Quinstlein unum Lotonem constituent.

§. 15. Ad Formam accidentalem accedimus, quam in valore impositio & signaturâ consistere diximus, quæ quæquam non desint, qui ad essentialē formam valorem magis referre videantur, inter quos præcipuus est Molinæus *de com. & usur. q. 92. n. 496.* at optimè refutatur hæc sententia à Benjam. Leuber *tr. de Reduct. monetali p. 60.* Valor autem est publica monetæ per characterem impressum designata æstimatio, quæ in jure appellatur modò quantitas *in l. 94. §. 1. ff. de solut. & l. 67. §. 1. ff. de verb. oblig. modò pretium in l. 9. ff. de aur. & arg. leg. & l. 35. ff. eod. modò potestas in l. 3. ff. de eo quod incerto loc. & rubr. C. de vet. numism. potest.* in Recessibus Imper. vocatur die Valuation der Münz wie sie gang und gebig ist. Justa v. valoris æstimatio deducenda ex comuni metallorum pretio, in quod omnes fermè populi unanimi suffragio consenserunt i. e. in auri & argenti infecti pretio & analogiâ, secundum quam in jure Justiniano una libra auri quatuordecim libris argenti exæqvatur *l. unic. C. de arg. pret. & una libra argenti centum ferè libris æris*

æris /  
perp  
C. de  
serva  
in l. 3.  
posi  
minu  
hoc l  
autet  
qvoc  
occu  
mon.  
lidor  
gant  
qvas  
patu  
mus,  
vestig  
pra S  
dæus  
erg.  
rum  
Agric  
milit  
ex C  
nio in  
mult  
rum,  
per n  
Impe  
Qvâ  
est: c  
fester  
is.  
qver  
sexta

æris *l. unic. C. de coll. æris*. Nec obstat quòd hæc æstimatione non sit perpetua, prout ostendit *l. 9. de aur. & arg. leg. & l. 35. in fin. princ. C. de donat.* nam nihilominus valor in nummis uniformis debet servari, quod volunt Impp. Gratianus, Valentianus & Theodosius *in l. 3. C. de vet. num. potest.* nisi quod & æquisimum sit valorem imposititium ob impensas monetales nonnihil augeri in nummis minutis, quod augmentum signoraggiu Itali appellitant, & de hoc latè agit Renerus Budelius *de re num. lib. 1. cap. 6.* Ad valorem autem designandum monetis certa nomina imponi solent, id quod jam olim usitatum fuit. Nam in sacris siclorum appellatio occurrit, quorum æstimationem exsequitur Buntingius *in tract. de mon. hebr.* in jure civili verò asium, sestertiorum, denariorum, solidorum librarum nomina leguntur, quorum rationem Jcti indagant. Variæ etenim existunt de hisce nominibus controversiæ, quas ex denariorum æstimatione incertâ unicè provenisse in propatulo est. Quocirca de denariis præcipuè quæstionem instituimus, ut tam ligam, quàm pondus & æstimationem eorundem investigemus exactius. Sed cum ligam 14. Lotonum ex Plinio *supra §. 12.* notaverimus, tantum de pondere jam erimus solliciti. Budæus enim, Leonhardus Portius *lib. de sestert. & Alciatus lib. 9. parerg. cap. 2.* nonaginta sex denarios constituisse libram 12. unciarum autumant, idque autoritate Plinii *lib. 21. c. ult.* probant. Sed Agricola contendit octuaginta quatuor libram effecisse, & hic similiter Plinii autoritate nititur *lib. 33. cap. 9.* suamque sententiam ex Cornelio Celso *lib. 5. cap. 17.* Appiano *lib. 2. bell. civil.* & Svetonio *in vitâ Cesaris* deducit. Nos Agricolæ pondus assumimus, & multiplicatâ ligâ cum pondere, eandem æstimationem denariorum, quàm Did. Covarr. Bilibaldus Pirckheymer, & Mameranus, per nummos minutos provinciales expresserunt, per octavam Imperialis portiunculam (einen halben Drtsthaler) exprimimus. Quâ denarii æstimatione cognitâ, partium ejus æstimatio facilis est: constabat enim unus denarius ex duobus quinariis, quatuor sestertiis, decem asibus, viginti Sembellis, quadraginta terunciis. Ex denarii æstimatione solidi quoque æstimatio innotescit, quem duplicem facimus, veterem & novum. Solidus enim novus sexta uncia pars fuit, juxta *l. 5. C. de suscept. lib. 10.* & septendecim

B 3

dena



denariis æstimatus fuit, quod colligimus ex proportione auri ad argentum, quæ traditur in l. 1. C. de arg. pret. lib. 10. Solidus verò antiquus quarta uncix pars fuit teste Plinio & 25. denarios valuit. De antiquo verò solido præcipuè controversum, num aurei vel solidi appellatione veniat? Budæus enim solidi & aurei appellationem maximè differre existimat, & quem nos solidum veterem dicimus, ipse aureum appellat. Sed aureum antiquum etiam solidum antiquitus appellatum fuisse, contra Budæum ex Ælio Lampridio sufficienter deducit Did. Covarruvias. Quod ipsum etiam ex Ulpiano Jcto liquet, cujus temporibus licet aureus nondum esset diminutus (*hæc enim diminutio sub Constantino Imp. vel sub Juliano contigit*) nihilominus tamen Prætorum & Ædilium edicta referens pro aureis solidos posuit in l. 42. ff. de edil. Edict. & l. 5. §. 9. ff. de his qui dejecerint. Accedit quod ipse Imp. Justinianus solidorum appellationem in l. 5. §. 9. ff. de his qui effud. explicet de aureis in §. 1. vers. cui similis Inst. de oblig. quæ ex quasi malef. & aureos in l. 12. ff. de injus voc. explicet de solidis in §. ult. Inst. de pæn. tem. litig. Ex Denarii æstimatione porrò manifestum etiam evadit, quomodo libra auri vel argenti in jure Justiniano accipienda, quam duplicem faciunt Dd. unam sc. ponderalem, alteram numeralem. Ponderalis libra solvi potest per tot aureos sive solidos vel argenteos denarios, quot Romanâ lege ex duodecim unciis auri vel argenti percussos diximus, sicut in praxi quoque observatur teste Dn. Carpzov. p. 2. c. 29. def. 1. n. 6. Et sic accipienda mulcta l. 2. C. de Episc. aud. l. 5. C. quor. appell. non recip. l. 6. C. de off. Rect. Provin. l. 13. §. 8. C. de judic. & l. unic. C. de ratio. oper. publ. l. 3. C. de sepulchr. violato. Numeralis verò libra fuit pondus vel numus quatuor drachmarum auri, sicut Molin. de contr. q. 100. n. 781. statuit, & l. ult. C. de cupress. lib. 11. ita interpretatur. Denique ex Denarii pretio quoque apparet, quid valeat Sestertium (generis neutrius) in quo determinando sequimur Budæum lib. 1. de asse, Port. de sestertiis, Alciat. lib. 3. dispunct. cap. 9. & lib. 5. parerg. cap. 27. & Ant. Augustin. lib. 2. Emendat. cap. 6. qui per sestertium vel talem ejus notam HS mille numos sestertios, sive ducentos & quinquaginta denarios intelligunt, quod ipsum prolixè contra Agricolam probat Did. Covarr. d. l. cap. 4. n. 2. seq. ubi etiam interpretationem l. 6. ff. de usur.

de us  
de re  
hibe  
em  
por  
teria  
nim  
erun  
ret u  
quid  
post  
hinc  
Nep  
histo  
num  
lex.  
netã  
gas.  
man  
ce li  
neta  
etia  
num  
pus  
ra h  
stitu  
Mün  
schlic  
und  
tel ge  
men  
pen  
die a  
plex

de usur. l. 77. §. 3. ff. de condit. & demonstr. l. 4. §. 1. ff. de statu l. 40. ff. de rebus cred. l. 57. ff. de solut. subjungit.

§. 16. Restat ut de signaturâ publicâ agamus, quæ idcirco adhibetur, ut sit autoramentū ad certificandum valorem & bonitatē emnumismatis. Certum v. est ex Aristot. lib. 1. Pol. c. 9. primis temporibus non signatam pecuniam, sed rudem ac simplicem materiam juxta ejus pondus & magnitudinem in usu fuisse: inquit enim Philosophus: ad permutationes faciendas tale aliquid composuerunt inter se dare & accipere, quod utilium quippiam existens haberet usum commutandi facilem ad vitam, ceu ferrum & argentum, & si quid aliud tale, primò simpliciter definitum, quantitate & pondere, postmodum verò etiam signo impressum, quo à mensurâ liberi essent. Et hinc idem Aristoteles refert in Tarentinis numismatibus, Tarantis Neptuni filii eqvo insidentis imaginem impressam fuisse. Et ex historiis constat, quòd Athenienses noctuam cum facie Minervæ nummis impresserint, Peloponnesii verò testudinem Alex. ab Alex. gen. dier. lib. 4. cap. 15. Nec latet, quòd Romani in æreâ monetâ ex unâ parte Janum, ex altera navem: in argentea verò bigas, quadrigas, aut Martis, Veneris, Mercurii effigiem, aut Romam Galateam, aut Aquilam Legionariam impresserint cum hisce literis SC. indicantibus Senatus-Consulto percussam fuisse monetam à Triumviris monetilibus, quorum nomina nonnunquam etiam exprimebantur. Sed de formis ac inscriptionibus variis nummorum optimè videri potest Hubertus Goltzius & Philippus Camerarius horar. succ. cent. 3. cap. 73. & 74. Qvalis signatura hodierno tempore in Imperio servetur, colligere licet ex constitutione monetali Ferdinandi de An. 1559. Das in den Sorten der Münz vom grössern bis auff den einzigen Kreuzer/ dieselben mit einzuschliessen/ auff der einen Seiten den Reichsapffel in des Adlers Brust/ und in demselben allwege die Ziffer/ wie viel Kreuzer dasselbe Stück gelte/ gesetzt werden mit Umschrift/ welche des regierenden Kayfers Namen habe/ auff der andern Seiten des Münzherren oder Stands-Wappen mit sampt seiner gewöhnlichen Umschrift und der Jahrzahl/ wo die am süglichsten zustellen.

§. 17. Ad finem & Effectum deventum. Finis monetæ duplex esse videtur vel principalis, vel minus principalis. Principalis est,

ad  
an-  
De  
lidi  
em  
ici-  
um  
dio  
Ul-  
ffet  
ano  
ens  
e his  
ap-  
vers.  
in  
De-  
o li-  
pli-  
on-  
eos  
nti  
On.  
E-  
. 13.  
chr,  
uor  
& l.  
ore.  
in  
rti-  
Au-  
no-  
de-  
bat  
s. ff.  
sur.



203  
lis est, ut moneta sit communis mensura omnium rerum. Minus principalis verò est, ut numus numum acquirat, quod fit in usuris & cambiis. *Sed contra hunc finem minus principalem disputant communiter Philosophi, quibus Jureconsultorum nonnulli adstipulantur.* Effectus monetæ publicus est commerciorum & contractuum utilitas. Privatus effectus est, ut secundum regulas justitiæ commutativæ unicuique pro re vel operâ suâ, quam alteri communit, justum pretium persolvatur, & æquivalens quiddam reddatur i. e. æque tantum retribuat ab accipiente juxta proportionem arithmeticam, quantum ab altero contrahentium datum.

§. 18. Properamus ad Affectiones, quæ monetæ communiter accidunt. Quatuor verò ponimus. (1.) Mutationem, quæ fit, quando tam liga & pondus, quam valor monetæ sive in deterius sive in melius mutatur, (2.) Reductionem, quæ contingit, quando liga & pondus monetæ tantum reducitur, quod utilissimum Reip. esse demonstrat Benjam. Leuber *in tract. de reduct. monetal.* (3.) Valvationem, quæ fit, quando monetæ valor vel augetur, vel minuitur. (4.) Reprobationem, quæ fit, quando valor monetæ prorsus rejicitur. Et ex singulis his quatuor affectionum terminis totidem oriri solent controversiæ, præcipuè cum certa monetæ species vel ex lege & statuto, vel ex contractu, maximè verò ex credito debetur, quæ amplius non extet tempore solutionis.

§. 19. Prima ergò controversia est, quomodo in casu mutationis solutio fieri debeat? Nos bonitatem, quæ fuit tempore contractus, hinc servandam esse arbitramur, ut in alia monetæ specie solutio fieri non possit, nisi respectu habito ad prædictam bonitatem, etiamsi æstimatio quædam certa adjecta fuerit, quia illa tantum demonstrationis non valvationis causâ adjecta intelligitur *Carpz. P. 2. C. 39. def. 8. & 9.* Nostram sententiam probamus per *l. 10. §. ult. in fin. ff. de jur. dot. l. unic. C. de arg. pret. & Nov. 4. cap. 3.* Idem quoque confirmat *Cujac. ad l. 59. in fin. de verb. oblig. & in comm. in lib. 28. Pauli ad Edict. p. 25. Andr. Gail. lib. 2. obs. 73. n. 6. & 7. Mynsing. cent. 4. obs. 1. Borcholt. in explic. c. unic. quæ sint Reg. n. 62. seq. Ernest. Cothm. Resp. 36. n. 55. Fach. lib. 2. controuv. c. 10. Bocerius de jur. mon. c. 2. n. 129. Dissentit Molin. de conam. & usur. q. 100. n. 749. Menoch. conf. 49. n. 38. Hottom. quæst. illustr. c. 15.*

§. 20.



§. 20. Secunda Controversia est de Reductione, cum liga & pondus mutatur, valor autem manet sive fictitio modo sive revera. Utroque enim casu similiter tempus contractus attendendum esse statuimus *cum Olrado conf. 150. in pr. & n. 2. cum Gerrato de mon. n. 13. & cum Dn. Carpzovio P. 2. c. 28. def. 4.* Probationis loco adducimus textum ex jur. canonico *cap. cum canonicis de censibus.* Et ratio manifesta quoque peti potest ex jure civili *ex l. 3. ff. de reb. cred.* Dissentit *Job. Faber in auth. Hoc nisi C. de solut. Donellus in l. 3. n. 9. & 10. ff. de reb. cred. Pinell. ad l. 2. de rescind. vend. cap. 2. n. 16. & 17. Menoch. conf. 49. p. 37. Parisiens. qv. 100. n. 749.*

§. 21. Tertia Controversia est de Valuatione, cum valor tantum mutatur, liga vero pondus & signatura manent. Et hic etiam ad tempus contractus recurrendum esse statuimus, ut solutio fiat secundum valorem antiquum, quia (1.) substantia nummorum in æstimatione potissimum consistit *l. 1. de contrab. empt.* (2.) quia obligatio ad pecuniam est certa *l. 3. ff. de in tit. jur. l. 1. ff. de condict. triticiaria.* (3.) quia debitor mutuum debet reddere æquè bonum *l. 3. ff. de reb. cred.* jam vero damnum sentiret Creditor si solutionis tempus inspiceretur. Porro hæc sententia comprobatur constitutione Serenissimi Electoris Saxon. Augusti *p. 2. constit. 28.* & nititur autoritate Baldi *l. 19. n. 28. de usur.* qui asserit debitoris commodum esse & incommodum, si nummi, non quidem fictitiè in respectu ad numos minutos, sed revera creverint vel decreverint. Sequuntur Baldum *Molinaus de comm. q. 92. n. 693. usque ad n. 703. Francisc. Hottom. quest. illustr. 15. circa fin. Ves. in π. de reb. cred. n. 12. Eberhard. Bronchorst. cent. 2. c. 11. aff. 18. Myns. cent. 4. obs. 1. Dn. Carpz. P. 2. const. 28. def. 5.* Dissentiunt *Andr. Gail. lib. 2. obs. 73. n. 9. Joan. Borcholt. in explicat. c. unic. tit. quæ sint Reg. Cujacius ad l. 2. C. de vet. num. potest.*

§. 22. Quarta Controversia est de reprobatione, cum moneta in totum reprobatur. Nos hic distingvimus inter casum, quo culpâ creditoris mora intercedit, & quo non intercedit. Priori casu solutionem reprobatae monetae admittimus *arg. l. 173. §. pen. ff. de Reg. jur. & l. 32. §. pen. ff. de usur.* Nec obstat quod reprobata moneta solvi non possit, *l. 24. §. 1. ff. de pign. act.* Nulla enim Regula tam firma est, quæ non patiatur exceptionem. Posteriori

C

verò

inus  
uris  
om-  
tur.  
n u-  
om-  
uni-  
atur  
nem  
  
uni-  
e fit,  
rius  
ndo  
cip.  
Val-  
nui-  
rfus  
oti-  
eci-  
dito  
  
uta-  
ore  
spe-  
bo-  
illa  
igi-  
nus  
  
4.  
lig.  
73.  
sint  
c. 10.  
r. q.  
  
20.

verò casu intrinseca bonitas solvi debet per l. 47. §. ult. ff. de leg. 1. l. 5. ff. de reb. cred. l. 23. l. 82. §. 1. l. 91. l. 105. de verb. oblig. l. 95. in pr. de solut. Nec obstat quod interempta specie, quæ debetur, ipsa quoque obligatio solvatur l. 23. ff. de verb. oblig. §. 2. Instit. de inutil. stipulat. Nam id non in omni obligatione procedit, sed in casibus illis specialibus d. l. 23. §. 2. Vid. Cothm. Resp. 36. n. 44. Dn. Carpov. P. 2. c. 28. def. 3.

§. 23. Superest ultimo loco, ut contraria perlustremus. Bonitæ monetæ autem contraria est falsa: Falsitas verò est vel intrinseca vel extrinseca. Intrinseca consistit in defectu vel ligæ vel ponderis: Extrinseca verò in defectu vel valoris vel signaturæ publicæ. Et sic quatuor monetæ falsæ species constituimus. (1.) Ratione Ligæ moneta dicitur falsa non solummodo illa, quæ stannea vel plumbea est l. lege Cornelia ff. ad L. Corn. de fals. & vel inaurata vel inargentata l. 7. ff. de solut. Sed etiam illa, quæ plurimum æris admistum habet l. 102. in pr. ff. de solut. & Ord. Crim. Carol. art. CXI. ibi Wann einer unrecht Metall darzu setzet. (2.) Ratione ponderis moneta falsa dicitur, quæ vel ab initio non debito pondere est formata l. 8. C. de liberali caus. vel quæ hominû improbitate ac dolo postea legitimo pondere fuit defraudata cap. 8. X. de jurejur. l. 8. ibi numos aureos raserit ff. ad L. Corn. de fals. Ord. Crim. Carol. art. CXI. ibi so einer der Münz ihre rechte Schwere benimbt. (3.) Ratione valoris falsa indigetatur moneta, quæ majori pretio & æstimate exponitur, quam par est. Frid. Martin. in comm. de jure censuum cap. 5. n. 145. (4.) Ratione Signaturæ publicæ falsa nominatur moneta, quæ vel non ita signata, ut Recessus Imperii, vel cuiusque Regni constitutiones postulant, vel absque privilegio superioris signata ac percussa l. 2. & 3. C. de fals. mon. Ord. Crim. d. art. CXI. ibi oder aber auch ohne habende Freyheit münzte / etiamsi aliquis monetam & materiâ & pondere justam formaverit, ut arguit textus in l. 8. ibi, numos finxerit & l. 9. ff. ad L. Corn. de fals.

§. 24. Falsam autem monetam Princeps in sua ditione non solum reprobare, sed & in autores ac fabricatores rectè animadvertere potest. Quæ animadversio est vel adversus ipsos Dominos monetales, vel adversus monetarios, vel adversus quoscunq; falsarios. Dominorum monetaliū, si ipsorum culpâ moneta in  
ligâ

ligâ & pondere deminuta, pœna esse solet, quod jus cudendi moneta[m] amittant. At monetarii si absq[ue] dominorum consensu pedem præstitutum non servant, & remedio ipsis concessio lucri ergo abutantur pœnâ peculatus afficiuntur *l. 6. §. qui cum ff. ad L. jul. peculati.* Falsarii verò (si absq[ue] privilegio monetae cudendae auctoritatem sibi vindicent & læsæ Majestatis *l. 2. C. de fals. mon. & falsi crimen committant l. 8. l. 9. & 19. ff. ad L. Corn. de fals. Jul. Paul. lib. 5. tit. 25. in pr. & ibid. Cajac.*) igni adjudicantur, & ipsorum bona in fiscum rediguntur *d. l. 2.* Nec interest sive ipsius Imperatoris sive Principis alicujus inferioris vel civitatis moneta[m] formant, signent, & in aliorum fraudem expendant. *arg. l. 2. §. qui re privatus ff. ad L. jul. majest.* sicut ostendit Menoch. *lib. 2. de arbitr. jud. cent. 4. cas. 136. n. 9. & 29.* idem quoq[ue] textus generalis probat in *Recessu Imperii Augustano de Anno 1551. §. darzu daß sich & de Anno 1559. §. wir ordnen sehen/ nec non in Ord. Crim. d. art. CXI.* Controversum tamen an ordinaria pœnâ locum habeat, & flammarum exustionibus mancipandus, qui moneta[m] probæ speciei & justî ponderis sine privilegio formare ausus fuit? Doctores hîc communiter distinguunt inter casum, quo quis alienam formam justî ponderis monetae imprimit, & quo quis propriam. Priori casu cum & læsæ majestatis & falsi crimine committatur, ordinariam pœnâ: posteriori verò cum læsæ majest. crimen tantum committatur, extraordinariam vel gladii vel relegationis pœnâ statuunt *per text. in Ord. Crim. §. oder auch ohne habende Freyheit münste/ der sol gefänglich eingelegt/ und nach Recht an Leib und Gut/ nach Gestalt der Sachen gestraffet werden.* Extraordinariâ pœnâ puniendi etiam sunt, qui moneta[m] Imperatoris materiâ & pondere justam accipere recusant, vel majori æstimatione expendunt, vel minori precio accipiunt. *l. 1. C. de vet. num. potest. junct. l. ult. C. eod.* vel moneta[m] conflare ac in massam redigere audent *Ord. Crim. d. art. CXI.*

§. 25. Ordinaria Falsariorum pœnâ porrò in eos quoq[ue] convertitur, qui suâ in domo aut fundo adulterinam moneta[m] clandestinis sceleribus formari scientes patiuntur. *l. 1. vers. domus verò C. de fals. mon. Decianus lib. 7. tract. crim. cap. 25. n. 2.* Eandemq[ue] pœnam etiam merentur qui pecunias mutilant ac radunt: hi enim olim vel ad bestias damnabantur, vel deportabantur vel summo afficiebantur supplicio *l. 8. ff. ad L. Corn. de fals.* Sed cum dicta

Lex

7.1.1.  
r. de  
vo-  
util.  
bus  
Car-  
Bo-  
in-  
on-  
bli-  
tio-  
nea  
ata  
mi-  
ibi-  
no-  
or-  
olo  
8.  
art.  
io-  
na-  
en-  
na-  
cu-  
fu-  
d.  
a-  
ar-  
on  
d-  
os  
al-  
in  
gâ

207  
OK  
TK  
2026

*Lex 8. de aureis numis loquatur, quæritur num eâdem plectendus sit pœnâ, qui argenteum numisma incidere & abradere ausus fuit? Affirmativam tenet Decianus lib. 7. tract. crim. cap. 23. n. 25. & Menoch. lib. 2. de arbitr. jud. cent. 4. cas. 316. n. 35. Negativam defendit Did. Covarruyas tract. de vet. num. coll. cap. ult. in fin. à quo non dissentire videtur Bocerus de mon. cap. 5. n. 23. & 24. qui mihiorem pœnam infligendam esse statuit ob rasuram vel tincturam argenti. Ulterius quoque controversum num illi etiam puniendi sint, qui monetam justum ac legitimum pondus excedentem radunt? in partem negantem inclinât Decianus lib. 7. c. 27. n. 11. & Alciatus lib. 7. Resp. 14. In affirmativam Menoch. lib. 2. de arb. jud. cent. 4. casu 316. n. 37. & Bocerus de mon. cap. 5. p. 188. nec non Renerus Budel. lib. 2. de re num. cap. 29. n. 30. & 31. quibus & nos ad stipulamur.*

---

#### ADDITAMENTA.

1. Ut jus Monetarium ad Regalia Principis retulimus suprâ §. 7. ita pari ratione jus metallicum ratione Decimarum ad Regalia referimus per ea, quæ habet Dn Carpozov. P. 2. c. 53. def. 1. & 3. Arum. ad Aur. Bull. disp. 5. th. 5. Rauchbart. part. 1. q. 22.
2. Principi jus Prælationis sive retractus in emendis metallis competere rectè asserit Ant. Perez. ad tit. C. de metall. n. 12. & Besold. Thesaur. Pract. verb. Bergwerck.
3. Quemlibet extraneum in fundo alieno, pretio pro deterioratione superficiæ præstito, metalla fodere posse benè statuit Alschaffenburg in Cons. pro Erar. class. 20. cons. 6. Matth. de Afflict. decis. 321. n. 16. & Dn. Carpozov. de Reg. th. 60.
4. Mortuo Fodinarum inventore, heredes ejus potiores esse quam fundi Dominum concludimus cum Paul. de Castro part. 2. cons. 330. & Rümelino ad A. B. disp. 8. th. 15.
5. Nihil prohibet quin de metallifodinis institui possint (1.) societates per l. 1. pr. ff. quod cuij. univers. nom. (2.) Locationes-Conduktiones per l. 13. pr. l. 15. ff. de publ. & vectig. (3.) emptiones Venditiones per l. 16. ff. de præscr. verb. & l. 37. ff. de contrah. empt. Vid. Dn. Franzk. lib. 1. Resol. 2. n. 97.
6. Neminem ad societatem metallicam admitti, nisi Procuratoribus metallorum decimas promittat ex consuetudine rectè servatur teste Göden cons. 1. de aurif. n. 2.

F I N I S.

W  
M

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

**KODAK Color Control Patches** © The Tiffen Company, 2000

**Kodak**  
LICENSED PRODUCT

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
Light Blue	Light Cyan	Light Green	Light Yellow	Light Red	Light Magenta	White	Light Gray	Black
Dark Blue	Dark Cyan	Dark Green	Dark Yellow	Dark Red	Dark Magenta		Dark Gray	

Handwritten text on aged paper, including the name "GEORG S. Godar" and the word "MONNE".

Decorative border and printed text on the right edge of the page, including the word "bar" and "per".

